



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

**CUM BEATA**

IMMACULATA BEATISSIMA VIRGO MARIA CONFIRMATUR  
PATRONA DIOECESIS PROCOPIENSIS, IN BRASILIA

Ad perpetuam rei memoriam. – Cum Beata Maria Virgo sub titulo «Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis» a clero et christifidelibus dioecesis Procopiensis, iam ab antiquo, peculiari necnon assiduo cultu honorata sit et adhuc honoretur, Venerabilis Frater Iosephus J. Gonçalves, Episcopus Procopiensis, communia vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis sub titulo «Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis» in Patronam apud Deum supradictae dioecesis rite approbavit. Quandoquidem autem idem Venerabilis Frater enixe rogavit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis» n. 30, confirmarentur, Nos collatis cum Sacra Congregatione pro Cultu Divino consiliis, illius precibus annuimus atque auctoritate Nostra Apostolica Beatam Mariam Virginem sub titulo «Immaculate Cordis Beatae Mariae Virginis» dioecesis Procopiensis Patronam apud Deum confirmamus, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis iuxta rubricas consequentibus. Nos autem fore valde confidimus ut hoc eximium decus, sicut est in Dei Genetricem, pro tot tantisque favoribus Eius intercessionem per saeculorum decursum a Deo christifidelibus concessis, gratiarum actio, ita eiusdem Dei Genetricis cultum in dioecesi Procopiensi augeat et multiplicet, atque Christi assecclas ad suam fidem pietatemque vita et moribus testandam inducat. Contrariis quibuslibet non ostantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI menses Novembris, anno MCMLXXVIII, Pontificatus Nostri primo.*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana